

gentias ab Ecclesia collatas non extinguere debitum a peccatoribus contractum faciendi fructus dignos poenitentiae prout suppetunt vires, neque eas lucrari qui id praestandi sincero carent et efficaci proposito.

§ 6. Si consulamus Ecclesiae praxim atque disciplinam ad apostolos usque perductam, clare deprehendimus in ea semper usum viguisse congruas exigendi a peccatoribus pro suorum qualitate delictorum satisfactiones conjunctas cum indulgentiis. Atque, ut ab apostolis ipsis ordiamur:

Primum indulgentiarum exemplum praebet Apostolus, qui, ex auctoritate sibi a Christo collata, remissionem quidem poenae flagitioso Corinthio elementer indulgit, et indulgentiam edixit; sed nonnisi post diutinam delicti sui poenitentiam, ut ex textu evidenter eruitur, et ne abundantiori tristitia absorbeatur, ut inquit Apostolus.

Crescente Ecclesia Christiana, celebres canones qui poenitentiales dicuntur confecti sunt, Ecclesiae spiritum nobis exhibentes in imponendis pro quolibet peccato gravissimis poenis, quas tamen moderari solebant episcopi (quod perinde erat ac indulgentiam tribuere); sed nonnisi ob justas ac rationabiles causas, et poenitentium fervore in iis subeundis aliisque circumstantiis accurate perpensis. Atque haec, ut advertit S. Cyprianus, lib. de lapsis, generatim tunc temporis erat Ecclesiae praxis et disciplina, ut episcopi prius probarent lapsorum poenitentiam, lacrymas, jejunia, etc., ac tum demum absolutionem a peccatis simul et indulgentiam impertirent « Si precem (verba sunt S. episcopi) toto corde faciat; si veris poenitentiae lamentationibus et lacrymis ingemiscat: si ad veniam delicti sui Dominum justis et continuis precibus inflectat... roganti potest elementer ignoscere (episcopus): potest acceptum referre, » etc.

At audire praestat Ecclesiam Romanam, ut omnibus liqueat quam semper haec omnium Ecclesiarum mater tenax fuerit primavae disciplinae. Haec consulta a S. Cypriano reposuit: « Quid in pace tam aptum, aut in bellis persecutionis tam necessarium, quam debitam severitatem divini vigoris tenere? Quam qui remiserit, instabili rerum cursu erret, necesse est... Absit ab Ecclesia Romana vigorem suum tam profana facilitate dimittere, et nervos severitatis reversa fidei majestate dissolvere, ne properata nimis remedia, utique non profutura, praestentur, et nova per misericordiam falsam veteribus vulnera imprimantur. Ubi enim poterit indulgentiae medicina procedere, si medicus interrupta poenitentia indulget periculis? Hoc non est curare, sed occidere... Pulsent fores (poenitentes), adeant ad limina ecclesiae, castrorum caelestium excubent portas, resumant precum suarum tubam. »

Verum alios afferamus hujusce traditionis testes. Eusebius lib. vi Hist., cap. 48, refert, post Decii persecutionem plura coacta fuisse concilia, omnesque episcopos in hanc convenisse sententiam, indulgendum quidem

esse, sed nonnisi iis quorum poenitentiam satisfactioni proximam conspexerint.

Longa ultra quam par est mea evaderet oratio, si canones omnes a conciliis praescriptos recensere vellem. Unum vel alterum lectorum oculis sisto. Concilium Nicenum I, can. 12 de Indulgentia impertienda relapsis ita loquitur: « Quicumque metu, lacrymis, patientia, et bonorum operum studio, conversionem opere ostendunt, hi definitum tempus auditionis implentes, tum de manu fidelibus in oratione communicent, postmodum vero licebit episcopo de his aliquid humanius cogitare. » Quod perinde erat ac indulgentiam elargiri.

Oecumenici concilii statuto morem gessit synodus Aurelianensis II, decernens penes episcopum facultatem esse moderandi poenitentiam injunctam, si poenitentes ex animo errorem deflere et agere poenitentiam videret.

Innocentius I, qui sub initium saeculi quinti Petri sedem obtinebat, praxim Ecclesiae Romanae in Indulgentiis conferendis exhibet, asserens hanc non esse a Sacerdote conferendam, nisi cum viderit congruam satisfactionem. Eadem disciplina vigeat in Africa, ut constat ex Can. 75 et 76 Concilii Carthaginensis an. 424 celebrati.

Ne sim prolixior, paucis perstringam aliqua, quae sequioribus saeculis hac de re constituta fuere. S. Basilius in Epist. ad Amphilochem testatur se Indulgentias concedere iis tantum, qui vitam misericordia dignam ostendunt, qui poenitentiae fructus monstrant. Concilium Aurelianense IV an. 541 praescribit episcopis, ut indulgeant cum poenitentibus, cum eos viderint dignam poenitentiam agere. Nicolaus I, an. 860, rigidam poenitentiam magno peccatori injunctam mitigandam edicit: « si ejus conversionem et lacrymarum fontem floridis actionibus et optimis operibus pullulare constiterit. » Concilium Salegunstadiense an. 1022, cap. 18, quia multi, confisi Indulgentiis, quae Romam petentibus concedebantur, poenitentiam agere recusabant, aperte eos monuit « talem Indulgentiam illis non prodesse, nisi prius, juxta modum delicti sui, datam sibi poenitentiam adimplevissent. »

Verum quid pluribus opus est? cum ex ecclesiastica historia compertissimum sit, per decem saecula nonnisi indulgentias partiales concessas fuisse; postmodum vero plenarias elargitas nonnisi pro operibus quam maxime arduis, exempli gratia, pro bellis gerendis in longissimis regionibus? Quare mirum esse non debet sanctum Thomam docuisse aliam tunc temporis requisitam non fuisse ab illis poenitentibus satisfactionem; quoniam quae assumebant ipsi laboriosissima opera cedere utique poterant in locum satisfactionis.

Colligamus itaque ex his omnibus traditionem Ecclesiae de indulgentiis cum satisfactione pro peccatis congrua necessario jungendis.

§ 7. Ut liquido constet eundem, quem hactenus ostendimus, immobilem in Ecclesia catholica semper permansisse spiritum, nullo

alio aptiore uti possumus argumento quam quod ex ipso deducitur omnium Ecclesiarum capite, Ecclesia nimirum Romana, quae nolum nobis de sententia sua relinquit ambigendi locum. Quare testimonia referam nonnullorum Summorum Pontificum quae in rem nostram potiora videntur.

I. Testimonium sumitur ex rescripto Sancti Gregorii VII, episcopo Lincolnensi indulgentiam pro peccatis suis petenti dato. Absolutionem, inquit, peccatorum tuorum, auctoritate principum apostolorum Petri et Pauli fulti, tibi mittere dignum duximus: si tamen bonis operibus inhærendo, commissos excessus plangendo, quantum valueris, corporis tui habitaculum Dei mundum templum exhibueris. In quem textum peculiari digna consideratione sunt quae subdit Baronius ad an. 1073, inquit: « ut appareat Sedis Apostolicæ indulgentias illis communicari qui, quantum suppetunt vires, bene operari non praetermittunt. »

Gemma docent Urbanus II et Gelasius item II. Primus enim indulgentiam concessit an. 1095 plenariam Crucesignatis pergentibus ad Terræ Sanctæ liberationem; sed tamen praescripsit ut illud iter laboriosissimum pro poenitentia susciperent. Alter vero, an. 1115, eandem confirmans indulgentiam, adjevit: Quoniam vos ipsos et vestra extremis periculis objecistis.

Innocentius III, in concilio Lateranensi decretum edidit quo potestas coerebatur episcoporum in indulgentiis conferendis. Rationes assignantur quod nempe « per indiscretas et superfluas indulgentias, et claves Ecclesiae contemnuntur, et poenitentialis satisfactio enervatur. » Mens proinde Summi Pontificis fuit ut poenitentialis satisfactio, quae laboriosis admodum operibus tunc etiam peragi consueverat, nullo pacto per indulgentias relaxaretur.

Bonifacius VIII in bulla pro indictione jubilaei haec habet: « Unusquisque tamen plus merebitur et Indulgentiam efficacius consequetur, qui basilicas ipsas amplius et devotius frequentabit. »

Eadem veritas comprobatur ex formulis quas adhibere solent Summi Pontifices in concedendis indulgentiis. His etenim aliisque plerumque utuntur similibus verbis, ut fideles redimant sua peccata operibus poenitentiae: ut jejuniis, orationibus, ac elemosynis, iram Dei placent. Id patet ex bullis S. Pii V, Sixti V, Clementis VIII, Urbani VIII, et Alexandri VIII: quod ulterius exprimunt per illam particulam vere poenitentibus, quae nedom hominem contritum indicant, verum etiam illum qui satisfacere satagit pro commissis delictis, ut optime ostendit cardinalis Denhoffius in laudata sua pastorali instructione.

Quod etiam magis magisque constat ex conditione apposita in bullis jubilaei, nimirum injuncta pro modo culpa poenitentia salutari. Quae sane Summorum Pontificum mentem clare aperteque ostendunt, scilicet indulgentias plenarias minime lucrari qui poenitentiam culpae commensuratum pro viribus non impleat.

Verum praeteris omnibus splendidissima sunt tot hujusce rei testimonia a duobus edita Summis Pontificibus. Primus est Innocent. XII, qui pro jubilaeo instante an. 1700, hanc de argumento nostro instructionem edendam curavit. En ejus verba, seria animi consideratione pensanda. « Proponatur fidelibus utilitas quam ex magna hac indulgentia consequuntur, modo divinae gratiae condigna satisfactione cooperentur. Doceatur populus quod licet sacramento poenitentiae culpa et aeterna poena remittatur, nihilominus post remissionem delictorum debitum temporalis poenae, adeoque grave onus satisfactionis remanere, quod copiosis elemosynis, rigorosis jejuniis, ac difficilibus operibus poenitentiae, ut tempore veterum fervidum Christianorum factum esse liquet ex Canonibus Poenentialibus, aut horrendis poenis purgatorii, solvi deberet. Cum vero talia sufferre humanae infirmitati nimis grave foret, ideo Vicarius Christitales satisfactiones per indulgentias minuit. »

At plane decretorium est quod suppeditat testimonium Bened. XIV in suis litteris de praeparatione ad annum jubilaei 1750, in quibus versus finem prolixum sermonem habet de indulgentiis, quem, ne tædio Lectores afficiam, in pauciora redigam. « Illud vero (verba ejus sunt) tum nobis, tum aliis qui nostro loquentur nomine, curae erit, ut clausulae illius quam bullae nostrae inseruimus, fidelibus vere poenitentibus, etc., vis et significatio probe intelligatur. Illud idem re atque exemplis demonstrabimus, quam futilis atque inanis sit illorum sententia qui, a catholica communione extorres, perperam asserunt indulgentiarum usu poenitentiam imminui, aut etiam de medio tolli. » — Hinc mentionem faciens de instructione a se edita in archiepiscopatu Bononiensi: « In hac, inquit, instructione universum dioecesis nostrae populum monuimus et hortati sumus ut occasione indulgentiae plenariae quam praedecessor noster Clem. XII promulgaverat, injunctis operibus alia pietatis opera superadderent, ac dignos poenitentiae fructus facerent, aureo illo ven. card. Bellarmini documento ex t. II, Controvers. l. v, cap. 12: Sic accipiant prudentes Christiani pontificias indulgentias, ut simul etiam studeant dignos poenitentiae fructus ferre, et pro suis peccatis Deo satisfacere. Sed et illud adjecimus quod cardinalis Pallavicinus in Histor. Concil. Trid. l. iv, cap. 12, num. 6, adnotavit, falsam nimirum esse illorum sententiam qui rentur Christianos propter indulgentiarum usum desides fieri, atque a satisfactione quae Deo, criminum nostrorum vindici, praestanda est, avocari... Haec omnia iis alinia sunt quae et nos supra inculcavimus, monentes ut praeter opera quae praecipiantur, alia Christifideles exerceant pia opera, quae spiritui ac votis Ecclesiae consona sunt, » etc.

§ 8. Adductis jam Summorum Pontificum disertissimis testimoniis, superfluum videri potest alios adjungere. Nihilominus non abs re futurum arbitror, si cursim saltem nomina potius quam testimonium nonnullorum re-

citem clarissimorum in Ecclesia virorum, aliis omissis.

Floruit sæc. xv cardinalis Cusanus. Hic, dum per Germaniam Sedis Apostolicæ legati fungeretur officio, synodum in Belgio provinciam coegit anno 1443, ubi inter alia declarandum curavit « idcirco dari indulgentias ut Ecclesia de thesauro (Christi) suppleat quod homo pro digna satisfactione sentit sibi deesse, quia, multis obnoxius criminibus, dignam agere pœnitentiam vix posset, eo quod pro uno peccato mortali jam septennis pœnitentia agi deberet. »

Quod idem senserit Cajetanus nullus ambigit, qui etiam videtur in nimium rigorem delapsus. At certe legitimam de indulgentiis sententiam secutus est S. Carolus, qui *Pœnitentiales antiquos Canones* edidit, et in anno jubilæi 1575, quid agere debuerant Romam petentes ad illud lucrandum, præscripsit his verbis. « Non id vobis satis videri debet quod urbem Romanam ac ecclesias et reliquias sanctorum visendas adieritis; sed huic quoque *vestram et perfectam pœnitentiam* adungere debetis. »

Suffragantur sententiæ nostræ theologi concilii Tridentini, quorum scripta supersunt. Suffragantur cardinales Baronius, Bellarminus, ac Denhoffius, jam laudati; Stephanus cardinalis Le Camus, vir non minus vitæ sanctimonia quam doctrina conspicuus; Benzonius, episcopus Lauretanus; Franciscus Cajetanus Incontri, archiepiscopus Florentinus; Joannes Bragadenus, patriarcha Venetiarum. His accedit tota Gallicana Ecclesia, cujus episcopi doctrinam nostram, veluti unice certam ac tutam tradiderunt, quorum agmen ducit magnus et nunquam satis laudandus Jacobus Benignus Bossuetius, episcopus Meldensis, in sua instructione de Indulgentiis. Quis omnibus istis præferre audebit aliquos casuistas diversimode opinantes? Adde theologos alicujus nominis nostræ sententiæ subscribere, ex quibus supra sexaginta recenset Amort in suo de Indulgentiis Tractatu.

§ 9. Præstat hic attexere rationes aliquas, quarum prima sit: Mens Ecclesiæ est ne per indulgentias disciplina ecclesiastica pœnitentiæ relaxaretur. At posito quod ad indulgentiam lucrandam non requiratur saltem desiderium efficax Deo satisfaciendi per opera pœnalia, jam pro quibuslibet peccatis *leviores* atque etiam *levissimæ* injungi valent pœnitentiæ, vel *nullæ* etiam, ut casuistarum nonnulli contendunt, dummodo pœnitentes indulgentias se recepturos promitterent.

Huic affinis est altera ratio, scilicet, quod si hæc foret indulgentiarum vis ut etiam iis qui sincero carent proposito satisfaciendi Deo, pœnam omnem remitterent, foveretur hominum negligentia, iique, tametsi ingentibus peccatorum debitis prægravati, desidiores fierent in agenda pœnitentia, quam sane non esse Ecclesiæ mentem nemo non videt.

Tertiam rationem ita proponit Cajetanus. « Nullus indignus aliena satisfactione pro

pœna sibi debita consequitur veraciter fructum indulgentiæ; sed quilibet negligens satisfacere per seipsum est indignus aliena satisfactione pro pœna sibi debita: ergo nullus negligens satisfacere per seipsum acquirit fructum indulgentiæ. »

Quarta ratio ab eodem Cajetano verbis hisce proponitur: « In quavis bene ordinata republica, quantumcunque rationabilis adesset quandoque causa dispensandi communem thesaurum in cives gravatos ære alieno, negligentes tamen solvere, indigni censerentur adjutorio thesauri.... Cum igitur Ecclesia sit a Deo ordinata, æquum non est ut spiritualis dispensatione thesauri negligentes satisfacere pro dignis habeat. »

Quinta ratio, quæ præcedentem amplius confirmat, hæc est: sancti Ecclesiæ Patres in ea semper persuasionem fuerunt, noluisse Christum Dominum applicari ab Ecclesia fructum passionis suæ peccatoribus post baptismum lapsis, sine propria ipsorum satisfactione. Igitur Ecclesia non habet potestatem per indulgentias sic applicandi fructum passionis Christi, ut cesset studium ac sollicitudo satisfaciendi juxta uniuscujusque vires.

Tandem, ut alias missas faciam rationes, argumentum subijcio quod mihi semper visum est ad persuadendum omnibus aptissimum; videlicet, quod veritas, quam defendimus, quædam sit velut insita fidelium mentibus atque insculpta sententia: siquidem quid causæ est cur veri pœnitentes intime sentiant se debitores pro peccatis suis divinæ justitiæ, atque ex hoc intimo sensu promoveantur ad exercenda impigre pœnitentiæ opera, quamquam bene noverint apertum esse in Ecclesia thesaurum meritum Christi, et indulgentias lucrari studeant?

Nonne persuasum est omnibus gravissimis obnoxios esse purgatorii pœnis eos qui, non peracta pœnitentia, decesserunt e vita, licet pie obierint, et pluries indulgentias in mortis articulo susceperint? Unde sacrificiis, orationibus, elemosynis solari satagimus? Cur tantopere ascetæ in libris, confessarii in sede sua, sacri oratores e suggestibus hortantur, imponunt, detonant faciendos esse pœnitentiæ fructus, nisi ex penitentiore quadam persuasione indulgentias ex benignitate Ecclesiæ collatas prodesse quidem plurimum, sed non nisi ex posita conditione, quod pœnitentes, quantum suppetunt vires, Deo propriis operibus satisfacere studeant?

§ 10. Ex tradita doctrina varia derivantur corollaria: primum, ut verbis utar P. Antoine: « Ex dictis sequitur, ad lucrandas indulgentias requiri has condiciones ex parte recipientis: 1° ut sit subditus concedentis.; 2° ut immunis sit ab excommunicatione majore.; 3° ut sit in statu gratiæ (saltem dum ultimum opus injunctum perficitur); 4° ut opus omne injunctum, saltem moraliter, totum et integre impleatur... Quibus omnibus merito additur a multis propositum satisfaciendi Deo per opera bona satisfactoria, » etc.

Corollarium secundum. Liquido constat falsam esse quorundam opinionem, qui censent nullum percipi fructum ex indulgentia puta pleharia, si tota et integre non recipiatur. Nam, ut alia plura omittam, Bonif. VIII, in bulla Jubilæi aperte testatur quod *unusquisque plus merebitur et indulgentiam efficacius consequetur, qui basilicas amplius et frequentius frequentaverit*. Quod clarius exprimit Innoc. IV, in cap. *Quod autem*, de Pœnitent.; nec non S. Thom. suppl., q. 23, art. 2, ad 3, et sanct. Bonaven. in 4, dist. 20, q. ult.

Corollarium tertium. Ad percipiendum integrum fructum indulgentiæ plenariæ animus suscipientis liber esse debet ab omni affectu cujuscunque vel levioris peccati: alioquin non integre, sed partialiter duntaxat indulgentiam consequetur, si tamen aliæ conditiones non desint. Ratio evidens est quia, in omnium sententia, relaxatio pœnæ supponit culpam remissam: hæc nunquam remittitur nisi animus ab ea sit aversus.

Corollarium quartum. Consequitur etiam ex dictis nihil vel parum prodesse indulgentiam iis qui, cum vitam omnem transigant in vitiis et peccatis, sacramento pœnitentiæ recepto, sibi persuadent se ab omni pœna reddere immunes, mediis quibusdam precatiunculis, quas recitare non omittunt pro consequenda aliqua indulgentia; et interim nullum studium impendunt ut juxta vires suas Deo satisfaciant laboriosis operibus a vere pœnitentibus requisitis.

Corollarium quintum. Christiani omnes, iique præsertim qui plura commiserunt gravia flagitia, solliciti esse debent in conjungenda pœnitentia cum indulgentiis, quatenus utroque medio divinæ justitiæ securius satisfaciant. Hoc est autem illud Bellarmini documentum nempe « *utilius quidem est ac tutius pro se satisfacere quam indulgentias quærere; sed utroque utilius est illud facere, et istud non omittere.* »

ADDITIONES CASINENSES.

Duo de indulgentiis dogmata fide tenenda tradidit Tridentina synodus, sess. 23 in Decr. de Indulgent. primum, potestatem eadem conferendi a Christo ecclesiæ fuisse concessam; alterum hujusmodi Indulgentiarum usum Christiano populo esse maxime salutarem.

Porro potestate eas impertiendi antiquissimis etiam temporibus, ut cum eodem Tridentino loquar, Ecclesia usa fuit.

Quoad vero usum illius potestatis spectat « *varius sane esse potest, pro temporum, personarum, aliarumque circumstantiarum diversitate; et ex Ecclesiæ judicio mutari etiam potest.* » Papebroch. in respons. ad P. Sebast. a S. Paulo, apud Benedict. XIV, de Synod. Diocæs. lib. xiii, c. 18, n. 6.

Hoc sane pacto plures indulgentiæ species sive formulæ; aliæ antiquiores, aliæ recentiores occurrunt. Prima quidem atque antiquissima ea est, qua apostolus Paulus erga incestuosum Corinthium usus est, ex abundantia videlicet doloris quo is peccatum suum detestatus afficiebatur:

FERRAR. IV.

« *Sufficit illi qui ejusmodi est objurgatio hæc, quæ fit a pluribus; ita ut a contrario magis donetis, et consolemini, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur* (II ad Corinth. ii, 6 et 7). Quem Pauli locum sic commentatur Chrysostomus: « *Quamvis peccatum confessus fuerit ipsiusque pœnituerit, ostendit tamen apostolus eum non tam pœnitentiæ opera quam gratia et beneficio veniam consequi: ob idque ait donetis, et consolemini. Non enim inquit quod id promereatur, nec quod eam quæ par sit pœnitentiam præstiterit, sed quia infirmus est, idcirco hoc peto; unde etiam subjunxit, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur. Quæ verba sunt hominis magnæ pœnitentiæ testimonium ipsi tribuentis, nec eum in desperationem ruere sinentis.* » Homil. 4 in Epist. II ad Corinth.

Secundum hanc regulam, Apostolo auctore, Patres Nicæni, et Ancyran, alique veterum conciliorum canones episcopis permittunt ut pro dolore, et lacrymis pœnitentium, et modo conversationis ipsorum, indulgentiam, necne impertiantur. « *In omnibus; en Canon Nicanus, propositum, et speciem pœnitentiæ convenit explorare: quotquot enim metu et lacrymis et pœnitentia, vel bonis operibus, rebus ipsis conversionem suam non simulatione demonstrant.... licebit Episcopo de his aliquid humanius cogitare: »* Can. 7. Hinc Suarez « *Episcopis, inquit, licuisse ex canonicis pœnitentiis publicis quæ pro diversis criminibus imponi solebant, aliquid pœnitentibus remittere, si eorum vita, et laudabilis conversatio id mereretur.* » In disput. 49, de Indulg. sect. 3, n. 1.

Alter species indulgentiæ apud veteres, et præsertim apud S. Cyprianum, sese exhibet, quæ nimirum ab episcopis, ad preces et intercessionem martyrum in idololatram lapsis concedebatur. Siquidem mos fuit ut lapsis qui statutum pœnitentiæ tempus non absolvissent, ad martyres confugerent, quorum intercessione reliqua pœnitentia illis condonaretur. Hanc consuetudinem Tertullianus laudabat in lib. ad Martyr., priusquam a communionem catholicam deficeret; eamque postea, factus montanista, sui ipsius immemor, insectabatur. Hujus quoque veteris Ecclesiæ moris meminit Dionysius Alexandrinus apud Eusebium, Histor. Eccles. lib. vi, cap. 41, 42, hoc pacto: « *Cæterum hi divini martyres (martyres Alexandrini), qui nunc assessores sunt Christi et regni illius consortes, dum hic apud nos essent, quosdam e fratribus lapsos et idolis sacrificasse convictos susceperunt; et conversionem illorum ac pœnitentiam cernentes, cum judicassent eam placere posse illi qui peccatoris pœnitentiam mavult quam mortem, eos admiserunt, et collegerunt atque in cœtum suum receperunt.* »

Scimus porro ex Cypriano, epist. 11, martyres ac confessores in hujusmodi libellis dandis modum quandoque excessisse; atque hæc profecto causa est cur in synodis Illiberitana can. 25, et Arelatensi i can. 9, sa-